

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0436

0434

0440

0430

0445

0425

0485

0385

0535

0335

0935

Ende

Anfang

422

scopuloso, in quo in collibus ponuntur viae maris signa lapidum cumuli; quae si non essent, multae naves montium vias ingredientes syrtim et charybdim incidenterent. Sic et hic multi homines perirent, si illa signa in montibus non essent. Verumtamen Sarraceni et Arabes signa ista etiam in superstitiones et abusus convertunt, montes enim certis temporibus ascendunt et juxta signa Machometum invocant et in ejus honorem ista signa exaltant, nam cumulus ille plenus pendebat panniculis et peciolis camisiarum et vestimentorum. Istis enim solent loca, in quibus aliquid divinum esse putant, honorare, ut patet supra fol. 28 b. Nam dum quis orationem finit, a vestimentis suis peciolam discerpit eamque ibi suspendit et vadit. Causa illius stulti ritus ponitur fol. 53 a. Arripui ergo panniculos et peciolos et omnia de lapidibus in terram projeci et cruces apposui, in summitate vero cumuli crucem de arundine factam locavi et super latos lapides cruces cum aliis acutis lapidibus depinxi, memor exaltationis sanctae crucis, quae erat illo die, ut pagani ascendentibus titulum Christi ibi invenirent et Christianos ibi fuisse deprehenderent.

Post hoc cum descendere vellem, acutius visum per campum duxi, ut tentoria nostra viderem et gressum meum ad ea dirigerem, sed nihil videre potui nec fumum ab igne nostro et prae angustia tremere coepi timens, ne forte per invia illa ad socios non scirem viam et declinarem huc vel illuc errando et tenebrae noctis me comprehenderent, quia, si quid horum accidisset, filius mortis fuisse. Hoc autem solum consolabatur me, quia per arenam transiveram et vestigia impresseram, quae sperabam me secuturum. Descendi ergo et in pede montis vestigia quidem mea inveni, sed paene obvoluta, ventus enim ea obtexerat et si (b) ad modicum tempus plus in monte tardasse, totaliter vestigia opera fuissent et ego pro certo vitae meae spem amissem, adeo enim eram alienatus, quod ad quam plagam me verterem ignoravi, quia grandis planities sub monte fuit, in qua tamen multi aggeres arenarum erant et cumulis terra tumorosa fuit. Secutus ergo fui mea vestigia ad aliquod spatium, sed dum in altiore terrae situm venissem, penitus deleta erant, nec ea

